



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN


Modi LX Sacrae Orationis variè Formandæ

Kojałowicz, Kazimierz Wijuk

Antverpiae, 1668

Modus XLVII.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69292](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-69292)



MODUS XLVII.

Ducitur tota oratio ab enumeratione partium. Locus amplissimus est, & extenditur ad divisionem, Generum in species: specierum in individua; accidentium in subjecta; Actuum in objecta; Actionum in fines; factorum in eventus; Locorum in spatia; Personarum in subjecta; statuum in formas; formarum in causas; & his similibus; ut ideò quoque excusatum me sperem, quod aliqua quæ huc revocare possem, singulariter in superioribus attigerim, aut infra dicendis perstricturus sim. Ex tam multis enim divisionibus, sunt nonnullæ, quæ & facile cōcionatori deservire possunt, & in turba aliorum non facile discernuntur: proptereaque merito specialem mentionem requirebant.

Ex hoc fonte ducendi orationem sacram, modus imprimis communissimus est, quando orator, rem, seu significatum generale, aut in ipsa propositione, aut in propositionis probatione in suas partes dividit, & de iis tractat: non tam argumentando ac inferendo aliquid, de ipso significato generali (nam de hoc statim) quàm explicando quibus partibus, aut subdivisionibus generis, illud conveniat. Unde magis spectatur, qualis sit res, cui conveniat, ad quid referatur: quam quid sit. Hac subdivisione usus non rarò servator ac Magister orbis est, ut cum semen subdivisit, in semen cadens in

in petram, in viam, & in terram bonam, idque de verbo Dei explicuit. Item cum distribuit talenta, in talenta lucrosa, & talentum defossum. Messem pariter, in triticeam, & Zizaniorum & plurimis similibus locis. Sit.

P R A X I S.

In Festo S. Mariæ Magdalenaë.

Ecce mulier quæ erat in civitate peccatrix. Luc. 7.

Accessus & Propositio. Spectaculum quod pi-
am D. Magdalenam D. Lucas vult asserere, cum voce demonstrativa, universos alloquens. *Ecce inquit mulier*, quemadmodum spectaculum fieri iniquus iudex Christum voluit, cum edixit *Ecce homo* Joan. 19. Et sanè, facta est hodie Magdalena spectaculum Deo, humilia respicienti; Angelis, de conversione gaudentibus; hominibus, per fora & convivialia atria, illam pariter admirantibus. Nec satis est; facta est quoque nobis spectaculum, humanæ infirmitatis, Pharisaicæ temeritatis, Christi clementiæ & pietatis. Hæc ut viciniora nobis, expendamus.

Confirmatio, per spectaculi, in propositione distributi probationes.

D. Magdalena *spectaculum humana imbecillitatis* talem esse periuadet D. Greg. hom. 33. cum ait. *Necesse est, ut cum peccatores conspiciamus, nosmet ipsos prius ex illorum calamitate defleamus quia for-*

fortassis in similibus lapsi sumus, aut labi possumus. Notum illud ac D. Augustino attributum. Nihil est quod fecit homo, nisi illum prohiberet Deus, propter hominem, factus homo. Franciscus Galliarum Rex, apud Carolum Imperatorem captivus, postibus inscribi curaverat. *Hodie mihi, cras tibi.* Rescripsit Carolus. *Homo sum, humanum à me nihil alienum puto.* Verissimè uterque quanquam alius, pro forte præsentis audacius. Interim quisquis homo est, humanæ fragilitati non fidat, atque ita Magdalene casus metuat. *Qui stat, videat ne cadat,* momente D. Paulo cui ad stipulaturus. Præsul. Hipp. hom. 27. *Semper stare, ac nunquam cecidisse Divinum est, atque mirabile: quod ipsum ad eum hæserat D. Bernard. ut gravissimam legem sibi dixerit. Firmum est mihi propositum nunquam videndi, quo ad usq; audiam ex ore Dei illa verba: venite Benedicti: neque à fletu desinam, donec liber sim, ab illa sententia, Ite maledicti,*

D. Magdalena spectaculum Pharisæica temeritatis. Talis facta est, cum illam Pharisæus ad pedes Domini jacentem cernens, concluderet. *Hic si esset Propheta, sciret utiq; quæ & qualis esset mulier. O malum oculum, & cor pessimum? Temere cogit, inquit, Pontifex Romanus ubi sup. Vidit flentem Magdalenam, & tamen peccatricem vocat: scelus quod non videt memoras virtutes, quas intuetur tacet. sed & quot hujus Pharisæi imitatores! ad quos D. Chryl. homil. 63. Quid ita alienis in hias O homo? Resordare Pharisæi, qui cum ad probos non respexerit,*

sed

sed peccantis opprobria viderit, labores suos amisit. Videas oculos aliquorum, tam stupidos ut una se-
de fixi, vix adlatus gyrari possint. His sunt simi-
les animi, qui cum vitio alieno adhæserunt, averti
ab eo non possunt, quamvis id de iis, jam dici pos-
sit, quod de Magdalena prosequens Bernar. Ser.
4. *Quis eam peccatricem dicat, quæ dum peccata
deplorat, odit iniquitatem: dum osculatur pedes Do-
mini, diligit justitiam.* Agitur tamen non raro
perperam. Vident religiosum, & ostentant sæ-
cularem, vident pœnitentem, & rident insolentem,
vident humiliatum, & memorant superbum.
Eccl. 34. *Hoc secundum hoc, visio somniorum ante
faciem hominis, similitudo hominis.* Juvenis, o-
lim malæ amicæ, male amicus; post vitæ melioris
electam frugem, in eandem incidit: quam cum ge-
neroso vultu, in salutatam transiret, venenato mu-
lier Sibillo. *Ego illa sum, cui adolescens, jam
Christo devotus. At ego, non sum ille.* Nosse
hæc credebat se hominem, quem jam non norat.
Hoc secundum hoc, visio somniorum, quæ tamen
non solum inutiliter, sed impiè aliqui delectantur,
ut imitentur Phariseum, cui Magdalena, facta est
spectaculum temeritatis, reclamante D. Chryf.
hom. 24. *Non pietatis est, tam rigida adversus de-
luta sententia, sed inhumanitatis; & personam qui-
dem delectationis sibi imponit, quasi alienorum mo-
rum curam gerendo: opus autem malitiæ implet
extrema.*

D. Ma-

D. Magdalena spectaculum Christi Domini clementia & pietatis ingens hæc omnino 1. Quia tam facile admisit ad se, tantam peccatricem. 2. Quia eandem coram Phariseo dignanter defendit. 3. Quia clementissimè, omnes culpas ignovit, dicens. *Remittuntur ei peccata multa.* O viscera Servatoris dulcissima? O pietatem misericordissimam! Imperatorum non nemo cum excubias inviseret, rogatus à vigili, porrigeret benignè manum osculo. *Nondum, respondit, tecum in gratiam redii.* Et alter idem petenti. *Quid relinquam amicis?* Immortales iras, mortales agimus. Servatori, videre humilem Magdalenam, & misereri, idem est. Nulla mora in accessu, nihil durum in acceptu, nihil asperum in verbo. Admittitur, suscipitur, defenditur: ut gloriari posset cum sponsa. Cant. 2. *Læva ejus sub capite meo, & dextera illius amplexabitur me.* Quid læva, nisi pars ad quam peccatores statuuntur? Quid dextera, nisi pars ad quam beati secernentur? O lævam tremendam, O desiderandam dextram! Magdalenaë utraque favet: Læva sub capite ponitur, ut secura à pænis, tormētis, & damnatione peccatis debita, in Christo quiescat; dextera autem dat amplexus, ut se ad gratiam receptam non ignoret & de dulcedine ejus, inter lacrymas & pia suspiria gaudeat. Eja fratres, qui secuti sumus errantem, sequamur pænitentem, & quod in Magdalena gratulamur, in nobis impleri curemus. Omni enim ratione alienum est, id quod rectum judices, recte factum nolle. Contigit aliquando, vitum Religiosum, cum desperatissimo peccatore ante Christi cruci-

cruci-

crucifixi imaginem argumentari : Nosti ne hanc imaginem ? Respondet reus, *novi*. Cujus putes illa est ? Respondit: JESU CHRISTI Filii Dei. Urisit sacerdos. Pro quo tandem, tam dirâ tormenta Filium Dei credis passum ? Respondit: Pro peccatoribus. Perrexit sacerdos omnibus ne ? Respondit reus, ita est, pro omnibus, subsumpsit sacerdos. Igitur & pro te. Respondit reus, nequaquam. Rursus ego sacerdos. Nunquid ergo tu non peccator. Imo verò, ait ille, sum, & maximus. Tum sacerdos, ex mysta dialecticus. Christus passus est pro peccatoribus omnibus. *Concessit*. Tu es peccator, atque ut ais maximus. *Concessit*. Ergo & pro te. Hoc verò contumaciissima mente pernegavit. Miseram cæcitatem, de qua tamen plurimum participant, qui quam suavis sit Dominus, & ad veniam facilis, in multorum exemplis, atque Magdalenzæ clarè nomine, redire tamen ad illum, quod necessario sequi deberet, nolunt. Videant, ne hæc sit participatio desperationis, à bono cognito, voluntatem avertere: imo ne sit communicatio damnationis, sub qua, damnati Deum optimum & justissimum agnoscunt: voluntatem tamen, ad objecta mali, & pœnarum, mente reflectente: frendent, & tabescunt, ac creatorem suum blasphemant.



MODVS XLVIII.

EX eodem loco distributionis desumitur: sed argumentatio, non explicatio simplex significati

R

cati